RITUALE ROMANUM

TITULUS VII - CAPUT 2

RITUS CELEBRANDI

MATRIMONII SACRAMENTUM

1. Parochus Matrimonio adfuturus, publicationibus factis ut dictum est, si nullum obstet legitimum impedimentum in ecclesia, superpelliceo et stola alba indutus, adhibito uno saltem Clerico superpelliceo pariter induto, qui librum et vas aquæ benedictæ cum aspersorio deferat, coram duobus saltem testibus, virum et mulierem ante altare genuflexos, quos parentum vel propinquorum suorum præsentia cohonestari decet, de consensu in Matrimonium interroget, utrumque singillatim in hunc modum vulgari sermone:

Et primo quidem sponsum interroget:

N. Vis accípere N. hic præséntem in tuam legítimam uxórem juxta ritum sanctæ matris Ecclésiæ?

Respondeat sponsus: Volo.

2. Mox Sacerdos sponsam interroget:

N. Vis accípere N. hic præséntem in tuum legítimum marítum juxta ritum sanctæ matris Ecclésiæ?

Respondeat sponsa: Volo.

Nec sufficit consensus unius, sed debet esse amborum, et expressus verbis, si loqui possint, aut secus æquipollentibus signis, sive fiat per se, sive per procuratorem.

Mutuo autem contrahentium consensu intellecto, Sacerdos jubeat eos invicem jungere dexteras, et dicat:

Ego conjúngo vos in matrimónium. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen. Vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque loci ritum.

Postea eos aspergat aqua benedicta.

Mox benedicat anulum, dicens:

V. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

R. Qui fecit cælum et terram.

V. Dómine, exáudi oratiónem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

Béne ✠ dic, Dómine, ánulum hunc, quem nos in tuo nómine bene ✠ dícimus: ut, quæ eum gestáverit, fidelitátem íntegram suo sponso tenens, in pace et voluntáte tua permáneat, atque in mútua caritáte semper vivat. Per Christum Dóminum nostrum. R. Amen.

3. Deinde Sacerdos aspergat anulum aqua benedicta; et sponsus acceptum anulum de manu Sacerdotis imponat in digito anulari sinistræ manus sponsæ, Sacerdote dicente:

In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Mox Sacerdos subjungat:

V. Confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

R. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad

V. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

R. Sed líbera nos a malo.

V. Salvos fac servos tuos.

R. Deus meus, sperántes in te.

V. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.

R. Et de Sion tuére eos.

V. Esto eis, Dómine, turris fortitúdinis.

R. A fácie inimíci.

V. Dómine, exáudi oratiónem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

Réspice, quæsumus, Dómine, super hos fámulos tuos: et institútis tuis, quibus propagatiónem humáni géneris ordinásti, benígnus assíste; ut qui te auctóre jungúntur, te auxiliánte servéntur. Per Christum Dóminum nostrum. R. Amen.

4. His expletis, si benedicendæ sint nuptiæ, Parochus Missam pro Sponso et Sponsa, ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus quæ ibi præscribuntur.

5. Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu, et rite celebratis singulis Matrimoniis, dictoque pro singulis a Parocho Ego conjúngo vos in matrimónium, etc., benedictiones anulorum et reliquæ benedictiones plurali numero semel fiunt.

6. Ceterum, sicubi aliæ laudabiles consuetudines et cæremoniæ in celebrando Matrimonii Sacramento adhibentur, eas convenit retineri.

7. Celebrato Matrimonio, Parochus vel qui ejus vices gerit, quamprimum describat in libro Matrimoniorum nomina conjugum ac testium, locum et diem celebrati Matrimonii, atque alia juxta formulam præscriptam; idque licet alius Sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus Matrimonio adstiterit.

Præterea Parochus in libro quoque Baptizatorum adnotet conjugem tali die in sua parœcia Matrimonium contraxisse. Quod si conjux alibi baptizatus fuerit, Matrimonii Parochus notitiam initi contractus ad Parochum Baptismi sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat, ut Matrimonium in Baptizatorum librum referatur.